



COLLOQVIVM SEXTVM DECIMVM

Persōnae: Dōriippa, Lepidus, Lȳdia, Mēdus

Māne est. Urbs Rōma primā lūce sōlis orientis illūstrātur. Ventus frigidus ā montibus flāre incipit.

Dōriippa, amīca Lȳdiae, ē lectō surgit et fenestram aperit. In viā infrā fenestram Lepidum advenīre videt.

Lepidus, quī multās rosās sēcum fert, ad cubiculum Dōriippae ascendit atque intrāns “Salvē” inquit, “amīca mea!”

Dōriippa eum nōn salūtāt.

Lepidus: “Ecce rosās quās tibi afferō, Dōriippa, rosa mea! Accipe hās rosās ab amīcō tuō!”

Dōriippa tacita Lepidum intuētur neque locō sē movet.

Lepidus: “Nōnne rosae tē dēlectant?”

Dōriippa rosās manū capit et ad terram iacit!

Lepidus: “Quid agis, Dōriippa? Cūr rosās pulchrās ad terram iacis?”

Dōriippa: “Eās rosās dā amīcae tuae!”

Lepidus: “At rosās amīcae meae dō.”

Dōriippa: “Nōn sum ego amīca tua.”

Lepidus: “Quid audiō?”

Dōriippa: “Id quod vērū est.”

Lepidus: “Sed ego tē amō, Dōriippa.”

Dōrippa: “Tū nōn mē, sed ancillam amās.”

Lepidus: “Quid dīcis?”

Dōrippa: “Dīcō ‘nōn mē, sed ancillam ā tē amārī’.”

Lepidus: “Quam ancillam dīcis?”

Dōrippa: “Eam ancillam fōrmōsam cum quā ambulāre solēs.”

Lepidus: “Ego nōn soleō ambulāre cum ancillā.”

Dōrippa: “Putāsne mē oculōs nōn habēre? In mediā viā ancillae
ōscula dās!”

Lepidus: “Dēsine mē accūsāre, Dōrippa! Ea fēmina quam tū
‘ancillam’ dīcis nōn ancilla, sed... soror mea est.”

acc mē dat mihi
tē tibi
sē sibi

D.: “*Mihi frāter est*”
D. dīcit ‘*sibi frāterem*
esse’

Dōrippa: “Vērum nōn dīcis. Tibi soror nūlla est. Sed mihi est
frāter magnus quī tē pulsāre potest!” Dōrippa ‘sibi frāterem
esse’ dīcit — id quod vērum nōn est!

Lepidus: “Ubi est ille frāter tuus?”

Dōrippa: “Hīc apud mē habitat.”

Lepidus: “Id vērum nōn est. Ego frāterem tuum nōn timeō!”

Dōrippa: “Nec frāter meus tē timet. Iam discēde, Lepide,
antequam ille revenit!”

Dum Dōrippa loquitur, aperītur ōstium, atque Lȳdia cum Mēdō
cubiculum intrat. Lȳdia et Mēdus Dōrippam salūtant et ab eā
salūtantur, Lepidō spectante.

Dōrippa sē ad Lepidum vertit et “Ecce frāter meus” inquit “quī
cum amīcā suā venit!”

Mēdus: “Quid dīcis?”

Dōrippa: “Sūme rosās tuās, Lepide, atque abī, antequam frāter
meus tē per fenestram iacit!”

Lepidus, quī Mēdum virum magnum et fortem atque fenestram
apertam videt, statim per ōstium ēgreditur neque rosās sēcum
fert. Dōrippa autem rosās sūmit eāsque per fenestram iacit in
viam!



Lŷdia: “Quid agis, Dōrippa? Cūr amicum tuum abire iubēs ac rosās per fenestram iacis?”

Dōrippa: “Is amicus meus iam nōn est.”

Mēdus: “Cūr mē ‘frātre tuum’ appellās?”

Dōrippa: “Quia Lepidus frātre meum verētur.”

Lŷdia: “Sed tibi nullus est frāter, Dōrippa.”

Dōrippa: “Nec Lepidō soror est! Ille dicit ‘sibi sorōrem esse’, ergō ego ‘mihi frātre esse’ dīcō!”

Lŷdia: “Cūr Lepidus dicit ‘sorōrem sibi esse’?”

Dōrippa: “Quia nōn mē, sed aliam fēminam amat. Eam fēminam ‘sorōrem suam esse’ dicit — id quod vērū nōn est.”

Hoc dīcēns Dōrippa lacrimās tenēre nōn potest. Lŷdia amicam lacrimantem complectitur atque cōnsōlārī cōnātur.

Lŷdia: “Dēsine lacrimāre, Dōrippa mea! Gaudē quod ille vir improbus tē nōn amat!”

Dōrippa: “Omnēs virī sunt improbi!”

Lŷdia: “Nōn omnēs, Dōrippa. Aspice Mēdum: is est vir probus atque vērū amicus, quī amicam suam nōn relinquit.

Dōrippa Mēdum aspicit, tum ad Lŷdiam sē vertēns “Et tū” inquit “es fēmina proba atque vērā amīca, quae nōn relinquis amicam tuam. — Sed quid hodiē māne ad mē venīs?”

Lŷdia: “Veniō quia mihi necesse est Rōmā proficiscī cum amīcō meō. In portū Ōstiēnsī bona nāvis nōs opperitur, atque ventus secundus est.”

Dōrippa: “Ergō tū quoque mē relinquis! Iam neque amīcum
neque amīcam Rōmae habeō.”

Lȳdia: “Multae aliae amīcae sunt tibi, Dōrippa. Ego omnēs
amīcās meās Rōmānās relinquō.”

Dōrippa: “Sed cūr necesse est tē Rōmā proficiscī atque amīcās
tuās relinquere? Id tē interrogō.”

Lȳdia: “Quia amīcus meus mē Rōmae relinquere nōn vult.
Necesse est enim Mēdum Rōmā fugere, quia dominus eius hīc
eum reperīre potest. In Italiā quiētī vīvere nōn possumus, quod
Mēdus dominum suum sevērū metuit.”

Mēdus: “Ego nūllum dominum metuō nec Rōmā fugiō!”

Lȳdia: “Sed necesse est nōs Rōmā proficiscī.”

Mēdus: “Vērūm dīcis: necesse est nōs simul in patriam nostram
redīre.”

Dōrippa: “Quae est patria vestra?”

Lȳdia: “Est Graecia. Mēdus in Graeciam, patriam suam, redīre
vult, itaque necesse est mē simul in Graeciam īre, quae mea
quoque patria est; neque enim sine amīcō meō vīvere possum.”

Mēdus: “Age, venī mēcum, Lȳdia! Tempus est abīre.”

dolēre ↔ gaudēre

Lȳdia amīcae suae ōsculum fert et “Doleō” inquit “quod mihi
necesse est tē relinquere, mea Dōrippa. Bene vīve valēque!”

Mēdus: “Valē, Dōrippa!”

et vōs = etiam vōs

Dōrippa: “Et vōs valēte! Bene nāvigate!”

Exit Mēdus, Lȳdiā sequente.